

ter vocatis, unus sanctificatur, et non alius, et de hac concedimus, imo certissimum iudicamus fieri per liberum arbitrium, sed diverso modo; nam ex parte ejus qui non sanctificatur, fit per liberum arbitrium ut principalem vel totam causam; ex parte vero ejus qui sanctificatur, liberum arbitrium tantum est causa secundaria, et minus principalis, et quasi instrumentalis ipsius gratiæ, et de hac etiam discretione possent intelligi verba Pauli. Cum enim ait: *Quis enim te discernit?* non intendit negare justum hominem cooperari ut discernatur a peccatore, sed docet non posse hoc sibi tribuere tanquam principali auctori; quod declarant verba sequentia: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Ad sextam respondetur. — Ad sextam respondetur, juxta eandem distinctionem, in exercitio ipso et executione non esse difficile reddere proximam rationem, ob quam iste sanctificatur vel convertitur, et non ille, cum ambo æque vocentur, scilicet, quia iste vult et non ille, quod satis docuit Concilium Tridentinum, cum dixit unumquemque justificari juxta Spiritus Sancti partitionem, et suam dispositionem, ac liberam cooperationem. Si autem ulterius inquiratur cur iste ita vocatur a Deo ut libere cooperetur, alter vero tunc vocetur quando cooperaturus non est, in hoc non potest humanum ingenium rationem reddere, nisi ex sola voluntate Dei, et hæc discretio pertinet ad ordinem prædestinationis, de qua loquebatur Paulus, cum dicebat: *Non est volentis, neque currentis, etc.*, et Augustinus cum dixit: *Noli judicare, si non vis errare*, et magis explicatur in sequentibus.

Ad septimam. — Ad septimam, in qua infertur hominem facere in se perseverantiæ donum, negatur absolute sequela, et cum illa probetur, quia homo facit ut auxilium sit efficax, negatur etiam assumptum, jam enim ostensum est esse falsum. Concedi autem potest et debet hominem voluntarie ac libere facere ipsam perseverantiam, quia voluntarie ac libere non peccat, et servat mandata; et hæc observatio mandatorum usque ad finem sine interventu peccati mortalis est perseverantia ipsa. Unde aliud est perseverantia, aliud donum perseverantiæ; nam perseverantia est effectus divini auxilii, ad quem effectum cooperatur liberum arbitrium; donum autem perseverantiæ est auxilium divinum seu collectio auxiliorum prævenientium et concomitantium, quæ facit solus Deus in ho-

mine, et non ipse homo; nam, licet homo cooperetur his auxiliis, seu, quod idem est, operetur cum illis, non tamen operatur illa formaliter et proprie loquendo; sicut, licet ignis operetur cum concursu Dei, non tamen facit ipsum concursum Dei.

Ad octavam, auctores, quos retulimus, dicentes auxilium præveniens ut sic non esse efficax sine adjectione concomitantis, respondent consequenter in prædestinatione considerari posse voluntatem efficacem Dei eligendi hominem ad gloriam, vel ad fidem, charitatem, etc., vel considerari posse voluntatem dandi omnia media quibus de facto homo consecuturus est salutem. Quoad priorem voluntatem, concedunt hominem non eligi a Deo, nec prædestinari ad gloriam, ut sic, nisi ex prævisa cooperatione liberi arbitrii bene operantis cum gratia Dei usque ad mortem; etsimiliter non prædestinari ut sanctificetur, nisi prævisa libera cooperatione, qua se cum auxilio ad sanctificationem disponit, et in universum de omni actu libero existimant non prædestinari, seu, quod idem est, non prædefiniri a Deo per absolutum decretum voluntatis, antequam futurum præsciatur. Nihilominus tamen fatentur imprimis, id quod de fide certum est, esse in Deo prædestinationem Sanctorum, quæ est præparatio gratiæ et gloriæ, ut Augustinus definit de Dono perseverantiæ, cap. 14. Hanc enim prædestinationem expresse docet Paulus variis in locis, et necessario sequitur ex perfecta Dei præscientia, et providentia supernaturali, unde quoad hanc partem negatur prima sequela argumenti, et ad probationem negatur non posse salvari prædestinationem sine auxilio prædeterminante; sufficit enim auxilium quod, licet de se non determinet, tamen de facto voluntas cum illo cooperabitur, cujus futuri effectus præsciens Deus scit illud auxilium futurum esse efficax cooperante libero arbitrio, et hoc satis est ut præsciat effectum prædestinatum infallibiliter esse futurum; docent præterea dicti auctores, absolute loquendo, non dari causam ex parte hominis totius prædestinationis, ut est præparatio totius gratiæ, quæ infallibiliter perducit ad gloriam, quamvis supposita una gratia possit dari aliqua ratio prædestinationis ulterioris gratiæ vel effectus ejus usque ad gloriam, et similiter aiunt non dari causam ex parte hominis electionis ad gratiam et gloriam simpliciter, nam electio ad primam gratiam seu vocationem est ex sola libertate Dei. Unde quando vocatio est

talis, quæ prænosceatur habitura effectum sanctificationis hominis et perseverantiæ in illo usque ad mortem, sive hæc sit una vocatio simplex, sive multitudo et collectio plurium subordinatarum inter se, ac sibi invicem succedentium, tunc electio ad talem gratiam est etiam mere gratuita sine ulla ratione ex parte hominis; estque fundamentum totius gratiæ prædestinationis. Atque ita negant etiam secundam sequelam illius argumenti, scilicet, non dari prædestinationem aut discretionem inter prædestinatum et reprobum in voluntate, nisi ex præscientia boni usus liberi arbitrii, nam, licet hoc sit verum de prædestinatione ad solam gloriam, vel ad secundam, tertiam, et posteriores gratias, non tamen est verum de prædestinatione ad primam gratiam congruam; quia aut bonus usus liberi arbitrii est cum gratia, vel sine illa; hic posterior non potest esse ratio supernaturalium donorum, ut supponimus contra Pelagium. Prior autem supponit gratiam prævenientem et excitantem, sine qua non potest liberum arbitrium habere bonum supernaturalem usum; ergo non potest ille usus esse causa donationis prævenientis auxilii, quamvis de facto habiturum sit talem effectum, quia est quid omnino posterius; ergo multo minus potest esse causa prædestinationis seu voluntatis dandi homini tale auxilium præveniens. Dices: quamvis ille bonus usus gratiæ sit tempore posterior, tamen in divina præscientia antecedit, et ita potest esse ratio prædestinationis, etiam quoad talem gratiam seu auxilium. Respondetur: duplex potest esse præscientia illius boni usus, una absoluta, quod ille bonus usus revera sit futurus in aliqua differentia, altera conditionata tantum, quæ tantum prænosceatur quid esset operatura voluntas, si hoc vel illo modo excitaretur. Prior scientia non potest secundum rationem antecedere decretum divinæ voluntatis de donando tali auxilio, seu vocatione congrua, cum ille usus non sit futurus nisi ex tali vocatione, et ideo non potest ille usus prævisus esse ratio prædestinationis quoad tale auxilium, quia supponit istamet prædestinationem; altera vero scientia conditionata illius boni usus antecedit quidem ordine rationis ad decretum illud prædestinativum, ut sic dicam, hominis ad tale genus vocationis. Et ita concedi potest et debet hominem non prædestinari sine præscientia conditionata boni usus liberi arbitrii, quod nemo negare potest in quacumque sententia,

servata proportione, nisi propriam vocem ignoret; nam etiam illi, qui dicunt Deum dare motionem determinantem voluntatem, necessario fateri debent, prius ratione quam Deus velit dare talem motionem, habere hanc scientiam conditionatam, quod si illam motionem det voluntas operabitur, sive illa scientia sit simplicis intelligentiæ, sive media, vel libera, sive sit scientia effectus in causa, sive in seipso; hæc namque differentiæ nihil referunt ad punctum præsens, nimirum, ut absolute verum sit Deum non prædestinare hominem, nisi prius ratione habeat illam præscientiam conditionatam boni usus liberi arbitrii, nimirum si ipse velit conferre talem prævenientem gratiam. Nihilominus tamen concedendum non est, quod in illo argumento infertur, Deum prædestinare hominem ex præscientia talis boni usus, quia hæc verba significant causalitatem et rationem illius boni usus præsciti, respectu talis prædestinationis, quia sola conditionata præscientia non sufficit ad hujusmodi causalitatem. Nam conditionalis nihil ponit in esse, et ideo quod tantum conditionaliter futurum esset, simpliciter nondum est futurum, et ita nondum habet fundamentum meriti vel demeriti, etiam in præscientia; non ergo potest esse ratio propter quam detur vel prædestinetur tale auxilium, nisi illud *propter* dicat tantum causam finalem; sic enim verum est Deum prædestinare hominem ad tale auxilium, ut illo bene utatur, non quia illo bene usus est. Unde ad probationem illius sequelæ, negamus primam discretionem inter prædestinatum et reprobum fieri per consensum, nam prius fit in ipsamet vocatione, nam unus recipit vocationem congruam, alter vero non congruam, quam discretionem fecit Deus ex sola sua voluntaria prædestinatione. Cum autem objicitur quia ante consensum recipere possunt prædestinatus et reprobus æquale auxilium, respondemus illud esse verum in ratione auxilii et motionis, tamen in ratione beneficii et gratiæ aliquid majus recipere cui donatur vocatio congrua, et hanc dicunt ii auctores esse potissimam gratiam prædestinationis in ratione gratuiti; nam reliqua licet possint esse majora dona, non tamen ita gratuita; quia jam supponunt bonum usum liberi arbitrii, ex hac priori gratia, ratione cujus dari possunt, vel etiam prædestinari.

Hæc responsio est quidem imprimis sufficiens ad recedendum a Pelagiano errore, et ab omnibus reliquiis ejus, quia juxta illam

semper conceditur primatus divinæ gratiæ, et usus liberi arbitrii subicitur illi, neque aliquid valere censetur, nisi quatenus in ipsa gratia nititur, et ab illa dignitatem et valorem recipit; unde nihil est in tota hac responsione quod tanquam periculosum in fide damnari possit. Deinde multa sunt in hac responsione maxime probanda, nimirum quod Deus cum certa præscientia futuri effectus det homini vocationem accommodatam, nam hoc pertinet ad perfectionem divinæ gratiæ et providentiæ, alioqui quasi fortuitum esset respectu Dei quod uni daretur vocatio, quæ habitura est effectum, et non alteri, quod nec dici nec cogitari potest; et huic etiam consentaneum est quod Deus ex sola sua voluntate uni conferat hanc vocationem, et non alteri, et consequenter quod illi conferat majorem misericordiam et benevolentiam. Nihilominus hæc responsio, quoad alia quæ involvit, necessaria non est, nec consentanea Augustino, et ideo quoad illa nobis non est probanda. Unum est quod electio prædestinatorum ad gloriam non præcedat ordine rationis absolutam præscientiam boni usus liberi arbitrii; aliud est quod absolutum decretum seu prædefinitio actus liberi, aut sanctificationis, vel remissionis non præcedat similiter ordine rationis ante præscientiam boni usus liberi arbitrii ex gratia; nam ut hæc electio, prædefinitio aut decretum per modum efficacis intentionis antecedit, non est necessarium ut executioni mandetur per physicam prædeterminationem præviam, nam per solam vocationem congruam id sufficienter fieri potest. Neque etiam inde sequitur quod ipsamet voluntas prædefinitiva per seipsam efficiat in voluntate talem prædeterminationem, nam voluntas divina non plus operatur ad extra, neque aliter, quam velit; illa autem voluntas intentionis non est per seipsam operativa ad extra, neque ad hoc ponitur, sed ut ex vi illius applicentur media accommodata fini intento; ergo ex prædictis rationibus non repugnat Deum prædefinire hujusmodi actus et effectus; aliunde vero illa electio et prædefinitio est magis consentanea perfectioni providentiæ, præsertim in ordine gratiæ, et habet magnum fundamentum in Scripturis et Augustino; non est ergo neganda, ut in lib. 3 de Auxiliis latius probavi.

Præterea non placet in illa sententia, quod nullum auxilium præveniens admittat, quod possit esse et denominari efficax, nisi quatenus actu operatur cum auxilio concomitante.

Cum enim illi auctores non negent dari vocationem congruam, quam altam et secretam Augustinus appellavit, quam qui recipit certissime audit, discit, et convertitur, non video cur non debeat talis vocatio sub ea ratione efficax appellari, etiam ut vocatio, atque adeo ut auxilium præveniens est. Nam licet non habeat efficaciam prædeterminandi physice voluntatem, tamen est talis, talique modo datur, ut infallibiliter consecutura sit effectum a Deo prædefinitum, et ea ratione efficaciter intentum; ergo id satis superque est ut efficax appelletur, non tantum quando actu facit, sed etiam prius, quia infallibiliter effectura est. Unde autem et quomodo habent hoc auxilium ante efficaciam, explicuimus late in diet. lib. 3 de Auxiliis.

Absolute ergo respondetur ad illam octavam probationem, negando utramque sequelam. Quamvis enim Deus non prædeterminet physice liberum arbitrium in executione ipsa, nihilominus ordine intentionis potest præeligere hominem ad gloriam, et ad sanctitatem, et ad fidem, prædefiniendo etiam actus liberos necessarios ad hos effectus, prius ratione quam absolute præsciat illos esse futuros, quia ut talis intentio sit prudentissima et efficacissima, satis est quod Deus, in thesauris suæ sapientiæ et omnipotentiae, habeat vocationem congruam possibilem, quam si tribuere velit, infallibiliter prædefinitum effectum obtineat, et ita non tollitur prædestinatio aut prædefinitio liberorum actuum, eo quod negetur physica prædeterminatio. Et inde etiam facile constat hanc prædeterminationem, præfinitionem vel præelectionem ad gloriam facile intelligi posse sine respectu ad merita prævisa, et ad omnem bonum usum futurum cum auxilio gratiæ; quia talis electio antecedit, secundum rationem, voluntatem Dei, qua decrevit dare homini a se electo vocationem congruam et accommodatam tali electioni. Non ideo enim Deus eligit hominem, quia illum vocavit congruo modo; sed potius quia illum elegit ad gloriam, ideo sic vocavit juxta illud: *Quos prædestinavit hos et vocavit, et quos vocavit* (vocatione ex proposito, ut Augustinus loquitur, quam nos efficacem appellamus), *hos et sanctificavit*; et idem cum proportione est de qualibet alia prædefinitione actus liberi; nam illa est ratio volendi dare auxilium efficax et congruum ad actum definitum, et non e converso, nisi forte per modum finis, ut supra declaratum est. Quocirca prima discretio inter prædestina-

tos et reprobos fit in mente et voluntate Dei per singularem dilectionem et electionem gratuitam ad gloriam, juxta illud: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; in executione vero inchoat quidem etiam ex parte solius Dei, dando uni vocationem congruam, et non alteri, consummatur autem cooperante libero arbitrio, ut in superioribus satis explicatum est.

Capitulum, d. q. 2, concl. 2, § Sed contra.—Tertio vero ac principaliter instant defensores physicæ prædeterminationis, quia hic modus prævenientis auxilii efficacis vel congrui, quem nos ponimus ad salvandam prædestinationem et prædefinitionem actuum liberorum, et ad conciliandam efficaciam gratiæ prævenientis cum libero arbitrio, neque est possibilis, nec sufficiens. Prior pars probatur, quia tota illa efficacitas supponit scientiam quamdam mediam futurorum contingentium priorem decreto libero voluntatis divinæ de hujusmodi futuratione, quam nos Molina scientiam mediam appellavit, nos conditionatam ab objecto vocamus; hæc autem scientia incognita fuit antiquis Theologis, quia revera nulla est, nec esse potest. Primo, quia certitudo illius scientiæ, de his quæ homo faceret positus in tali ordine, secluso omni actu libero divinæ voluntatis, videtur fictio chimærica, nam per talem assertionem (ait hic auctor) subtrahitur a divina providentia et a divina voluntate aliquod ens et bonum, quod habet causam creatam, et illa ponitur in sua actione exempta et libera a Dei voluntate, quæ debet esse omnium causa, quæ extra Deum sunt bona. Secundo, quia sequitur objectum cognitum per illam scientiam dare certitudinem et infallibilitatem scientiæ Dei, quod est absurdum, alias Deus desumeret scientiam a rebus. Prima sequela probatur, quia per illam scientiam dicitur Deus solum scire id quod futurum est, si talis conditio ponatur; imo etiam ideo scire, quia futurum est, nec posse Deum de facto aliud scire quam quod liberum arbitrium facturum est; si autem liberum arbitrium facturum esset aliud, prout revera posset, Deum illud sciturum fuisse, et non id quod modo novit; ergo certitudo illius scientiæ a libero arbitrio pendet, et non a Deo; ergo accipit Deus certitudinem suæ scientiæ ab objecto creato, et ab eo pendet tanquam a mensura extrinseca. Tertio, quia, juxta illam sententiam, a creatura desumitur quod Deus hoc vel illud cognoscat, quod est absurdum;

et sequela patet, quia in potestate liberi arbitrii creati est facere quod Deus aliter cognoscat, quam scivit; non est autem in potestate Dei velle aliter scire quam liberum arbitrium operaturum sit. Quarto, quia illa conditionalis non potest sciri in vi illationis, sic enim potius esset falsa propositio, verbi gratia: Si homo tentatur, peccavit, quia consequens non sequitur necessario ex antecedenti; nec etiam cognosci potest ex comprehensione liberi arbitrii creati, tum quia illa comprehensio naturalis est Deo; ergo etiam illa scientia esset naturalis, et non media: tum maxime quia liberum arbitrium applicatum ad operandum cum quibuscumque circumstantiis vel conditionibus præviis semper manet indifferens ad nolendum et volendum; hoc enim nos maxime contendimus, et si oppositum nunc asseramus, nostram sententiam destruimus; ergo impossibile est liberum arbitrium, ratione talium circumstantiarum, determinari ad alteram partem necessario efficiendam; ergo impossibile est ex comprehensione illius, etiam cum talibus circumstantiis cogniti, præscire quid operaturum sit¹.

CAPUT XXXI.

EXPENDUNTUR SACRÆ SCRIPTURÆ TESTIMONIA QUÆ AB AUCTORIBUS UTRIVSQUE SENTENTIÆ AFFERUNTUR.

Ad expendendam efficaciam utrorumque testimoniorum, præ oculis habere oportet id quod in confesso est apud omnes auctores, neutram harum sententiarum expressæ et in propriis terminis in sacra Scriptura contineri, alias altera esset plane hæretica, et non esset verisimile Doctorum Catholicorum sententiam pro illa pugnare, invenirenturque in Scriptura sacra expressa verba, quibus expresse affirmaretur vel negaretur prævenientem gratiam Dei determinare physice, seu ex se, ac natura sua voluntatem humanam; vel e converso diceretur consistere in vocatione congrua, et non in tali determinatione. Nihil autem hujusmodi in sacra Scriptura reperiri certissimum est. Igitur testimonia omnia quæ in favorem utriusque sententiæ afferuntur, habent implicitam illationem aliquam, quam oportet maxime attendere, et vim ejus perspicere, ut uniuscujusque testimonii efficacitas intelligatur.

Doctores igitur, qui ex Scriptura suadere

¹ De responsione, quam istis desiderari verisimilius est, vide dicta in præfatione. C. B.